

2/93

IDIBVS IVLIIS

MCMXCIII



RVMOR VARIVS



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA  
TVRICENSI in aedibus AKADis  
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos  
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,  
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulac, mandata mittenda sunt  
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-  
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem  
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich


Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Ecce imago illam deam, quae nomine Graeco 'Aphrodita', La-  
tino 'Venus' vocatur, monstrans. Videtis partem illae  
celeberrimae statucae in insula Melo inventa, II. saeculo a.  
Chr. n. exeunte factae, nunc Lutetiae (Francogallice 'Pa-  
ris') in museo nomine 'Louvre'.



Accipite de potestate Veneris deae illos versus, quibus poeta Romanus T. Lucretius Carus (circiter 95-55 a. Chr. n.) carmen 'De rerum natura' incipit!

Aeneadam genetrix, hominum divomque voluptas,  
alma Venus, caeli subter labentia signa  
quae mare navigerum, quae terras frugiferentis  
concelebras, per te quoniam genus omne animantum  
concipitur visitque exortum lumina solis:  
Te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli  
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus  
summittit flores, tibi rident aequora ponti  
placatumque nitet diffuso lumine caelum.  
Nam simul ac species patefactast verna diei  
et reserata viget genitabilis aura favoni,  
aeriae primum volucres te, diva, tuumque  
significant initum percussae corda tua vi.

(T. Lucretius Carus, De rerum natura I, 1-13)

Nunc aestate ineunte vobis quoque faveat illa dea, quae  
animos hominum venustate gratiaque vincit!

Valete!



Daniel Weissmann



## DE AUGUSTA TAURINORUM

urbe Romana

Augusta Taurinorum, urbs humili origine sed ad maiora orta,  
quasi onusta rerum ac virorum illustrium, inter Alpes et  
flumen Padum hodie ut antiquitus iacet.

Fere anno vicesimo quinto ante Christum natum colonia  
Augusta Taurinorum deducta est in regionem magni momenti,

ut cum transalpinis gentibus mercatura fieret et Romanorum  
exercitus iter a Gallia vel Germania in Italiam facere  
possent. Cuius fines coloniae cum antiqui populi Taurinorum  
sede comparari possunt, qui stirpe Ligurum nati in vicis ad  
pedes et in summis collibus incolebant, id est cum Celtarum  
fabulosa urbe "Taurasia" ab Hannibale anno ducentesimo  
duodevicesimo depopulata, ut Appianus tradidit.

Romani capta "Taurasia" civitatis temperationi, cum Latii  
ius populo dedissent, consuluerunt.

Octaviano Augusto imperatore id municipium, quo aliquot  
Italici advenae convenerant, colonia Romana, cui nomen  
Augusta Taurinorum fuit, facta est sub magistratibus duoviris  
et aedilibus.

Foedere pacto cum Alpinis stirpibus Cotiis civitas Augusta  
Taurinorum in finitimas rudes gentes magnopere ad Romanorum  
cultum et humanitatem vulgandos valuit. De qua antiqui  
rerum gestarum scriptores parum memoriarum tradiderunt.  
Tacitus (Historiae 2, 66) narrat civitatem anno sexagesimo  
nono, longo et uno, certaminibus acribus inter Otonem,  
Vitellium et ceteros duces interfuisse, quam ob rem ex  
parte eam deletam esse, sed omnes gentes nihil hoc curavisse.  
Idem scriptor meminit corpus examine Neronis Claudii  
Drusi, Augusti filii, mortui apud flumen Albim, cum transi-  
isset per illam regionem, summa gloria affectum esse.  
(Tacitus, Annales 3,5).

Quomodo populus in colonia vixisset, qui amplissimi viri  
vel obscuro loco nati, qui mores hominibus fuissent, qui  
ordines ex inscriptionum monumentis fere trecentis, urbanis  
et suburbanis post effossiones novas cognovimus.

Gens Rutilia et gens Glitia amplissimae fuerunt; C. Ruti-  
lius Gallus, praefectus urbis, cui poeta Statius carmen  
"Silvae" dicavit, bis consul fuit (CIL 6990); Q. Glitius  
Agricola, gente Faliscorum natus, qui eo a colonia deducta  
migraverunt, ad omnes gradus honoris ascendit, ut quattuor-  
decim inscriptiones in monumentis meminerunt.

Aliquot inscriptiones magistratus inter viros ordinis  
splendidissimi decurionum lectos esse memorant, homines  
autem, genere servili natos, qui ad Augusti cultum in  
collegiis consociati erant, Augustales appellatos esse.  
Postremo ordo populi, in quo plebs urbana pluribus benefi-  
ciis eminebat.

Constat in hac urbe multa industria collegia velut marmorariorum, qui in tabernis lapidariis aras, statuas, cippos, hermas efficerent, vel medicorum collegia ad Asclepium dicata esse facta.

Possumus discernere inter funebres inscriptiones monumenta marmorea in urbe, et in agris lapides forma orbiculata, in quibus tantum nomen et aetas defuncti incisa sunt non sine mendis scripturae.

Cum pontifices, augures, flamines et flaminicae religionem curarent, maxime imperatoris cultum, populus multos alios deos, in quibus deas Matronas vocatas, colebat. In statione ad fines in Galliarum via his diis muliebribus aedes celeberrima fuit.

Ut primo ac secundo saeculo aetatis imperialis non interesset magnificentiae Romanorum, haec urbs, quae per multos annos pace vixerat, industriosissima fuit cum omnes mercaturae ea transirent, multis viis stratis munitis in Segusina valle ad Monginevrum, compluribus mansionibus.

Quam ob rem antiqui scriptores per aliquot saeculos de nostra civitate silent.

Semper testimonium maximum coloniae Romanae antiquae et est et erit forma castrensis.


Haec forma, quodam modo, urbi aliquid austeritatis dedit severitatisque, quod videtur etiam inveniri nostra aetate in moribus animisque fere omnium civium.

Augusta Taurinorum, quae magnis moenibus ex saxis et calce, tectis lateribus munita est, etiam nunc reliquias antiquarum portarum servat, maxime Portae Palatinae.

In huius fronte, ubi quaterni fornices et bini ordines novem luminarum aperiuntur, duas turres, quibus sedecim latera sunt cum variis lacunaribus, admirari possumus.

Ex orientali parte, Porta Decumana apud Palatium "Madama", quod reliquias turrium antiquarum continet, Portae Palatinae respondet. Cui similis Porta occidentalis, quam antiqui Portam Praetoriam vel Segusinam nominaverunt; Porta Marmorea denique, cuius nomen solum servatur, a meridie urbem muniebat.

Cum urbis portis extrema duorum axium arrectariorum, qui appellantur Cardo Maximus et Decumanus Maximus, congruebant. Scaenae theatri, quod apud Palatinam Portam patebat, ornatum magna porticu a Donno II, filio regis Cottii, cum



Porta Palatina

praefectus regionis Cottiae nominatus est, parva residua manent.

Antiquitatis peritis assidua opera danda est, ut antiqua colonia Romana arcana, quae in se custodit, ostendat. Temporibus nostris caput statuae aeneae, singulari opera artificioque perfectum, antiquitus auratum viri cuiusdam familiae Iuliae Claudiae, fortasse Drusi Maioris, in puteo inventum est.

Praeterea pulcherrimum caelamen effigens militem et equum frenatum theatrum excolebat. Fictilia, vitra, metalla, quae in omnibus civitatibus Romanis abundaverunt, nobis maxime necessariae ad antiquorum hominum artes cognoscendas in nostra urbe nobis inexplorata sunt.

Utinam tantum patrimonium rerum antiquarum ad augendam nostram scientiam de illa celeberrima civitate quam primum patefiat!

Aglaiia Maxima Valeria Pizzone



### Carmina Spirituality Afrorum (Negro Spirituals)

Est me  
(It's me)

Verba repetenda



Est me, est me, est me, De - us,



op-us ad-or-a - re Te! Est me, est me, est



me, De - us op-us ad-or-a - re Te!



1. Ne- que fra- trem nec so - ro - rem, sed est



me, De - us, op-us ad-or-a - re Te!



Ne- que fra- trem, nec so - ro - rem, sed est



me, De - us op-us ad-or-a - re Te!

2. Nec pastorem nec decanum ...

3. Neque patrem neque matrem ...

4. Nec vicinum neque hostem ...

Versio Latina: Martin Meier



Carmina Spirituality Afrorum (Negro Spirituals)

I, voca super montes  
(Go, tell it on the mountains)

Verba repetenda:



I vo- ca su - per mon - tes, col-les et



val-les et quo-cum-que, i vo- ca su- per



mon - tes: "Est na-tus do - mi - nus!"



1. Dum e - um quae-si - ta - bam per cunc- ta



tem - po - ra, cla - ma - bam, ut ad-



es - set, et ius - sit me: "O - ra ——— !

2. Dum mala commitebam  
per cuncta tempora,  
orabam, ut adesset,  
et dixit: "En via!"
3. IN stabulo pusillo  
est natus dominus.  
Ut gloria fruatur,  
est missus angelus.
4. Custodem me creavit  
praestantem moenibus.  
Sum, cum sim Christianus,  
cunctorum ultimus.

Versio Latina: Martin Meier



# Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. aestus
2. voce defatigata et vix  
sonante (Gen. sg.)
3. asper vel severus
4. poetae ea nonnumquam 'lu-  
mina' vocant (Nom. pl.)
5. signa hilaritatis vel  
laetitiae edidit

Daniel Weissmann

# SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Bernhard Christen Dürrestrasse 15 5314 Kleindöttingen	Max Müller-de Vries Zürcherstrasse 10 4143 Dornach	Orestes Carbonero Cor.IV Novembre 9 I-15100 Alessandria Italia

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

<sup>1</sup> B	<sup>2</sup> E	<sup>3</sup> A	<sup>4</sup> T	<sup>5</sup> A	<sup>6</sup> S
<sup>2</sup> E	D	U	R	E	T
<sup>3</sup> A	U	F	E	R	O
<sup>4</sup> T	R	E	M	O	R
<sup>5</sup> A	E	R	O	N	E
<sup>6</sup> S	T	O	R	E	A

5+6/32



<sup>1</sup> P	<sup>2</sup> I	<sup>3</sup> A	<sup>4</sup> M
<sup>2</sup> I	C	T	U
<sup>3</sup> A	T	E	R
<sup>4</sup> M	U	R	E

1/33

## Ad vesperam

(S. Sapphicum)

En columbarum violae volatum  
candidum cernunt, abies remotum  
sidus expectat, stipulae susurrant  
obstupefactae.

Iam sub umbra orat myosotis ulmi  
voce submissa tenebras salutans,  
fumeum pratum gemitus dat haustu  
somnialeso.

Triste vespertillio fundit omen,  
paene nymphaeas violant duae umbrae.  
Oscitans aether et araneosus  
stringit amantes.

Florindo Di Monaco



### De quaestione nationum in Belgica

De hac quaestione itinere meo cogitavi ante duos annos in Belgica facto. Quamvis non sim huius rei perita, tamen aliquid dicere conabor. Mihi in animo est oratiunculam meam in tres partes dividere: primum tractabo condiciones hodiernas, quod ad populos et ad sermones attinet; secundum explicabo, quomodo duo sermones, qui in Belgica adhibentur, recte nuncupari debeant; tertium brevem historiam Belgicae a Media Aetate usque ad tempora nostra adumbrabo, e qua videri poterit, quomodo sensus patriae ortus sit et qua re multa problemata maneant.

I. Belgica est regnum centies centenorum milium incolarum, quorum centesimae sexagenae sunt Flandri et centesimae quadragenae Vallones. Secundum legem linguisticam anno 1963° latam sunt provinciae Flandricae: Antverpia (caput: Antverpia), Flandria Occidentalis (caput: Brugia), Flandria Orientalis (caput: Gandavum), Limburgum (caput: Hassele-

tum); Vallonicae sunt Hanonia (caput: Mons Hanoniae), Leodium (caput: Leodium), Luxemburgum (caput: Arlaunum), Namurcum (caput: Namurcum). Brabantia est provincia bilinguis ubi in parte Flandrica sunt Bruxellae, caput Belgicae, quae ipsae sunt urbs bilinguis.

II. Si transeamus ad secundam partem, cum sit facile linguam Valloniae definire, quae est lingua Francogallica, mihi explicandum est diutius, quomodo recte nuncupari debeat lingua, quae adhibetur ab iis, qui non sunt Vallones et Francogallice non loquuntur; recta appellatio non est lingua Flandrica (Italice "fiamminga"), sed lingua Nederlandica, cuius Flandrica praecipuum genus est. Primum hoc nomen anno 1482° apparuit. Antea lingua harum regionum appellabatur Theodisca (= lingua vulgi) ut ceterum Theodiscae erant omnes dialecti in parte continentali et in Anglia iuxta Mare Germanicum. Quae lingua popularis Latinae et dialectis Vallonicis opponebatur (Vallonicum significanter peregrinum valebat.) Iam in hac distinctione est futurarum contentionum semen.

III. Brevis historia Belgicae summatim poterit melius has res implicatas explanare. Initium Belgicae est Comitatus Flandriae; comes Flandriae est etiam Godefridus a Bulione dux primi belli ad sepulcrum Iesu Christi liberandum suscepti. Qui comitatus, anno 1339° auctus, omnes regiones ultra Scaldem, id est etiam Brabantiam et Hanoniam, comprehendebat. Anno 1384° Flandria in potestatem Philippi Strenui Burgundiae ducis transiit, qui eam accepit dotem Margaritae uxoris, Aloisii secundi, ultimi comitis Flandriae, filiae. Postea anno 1477° Ducatus Burgundiae, in quo hodierna Belgica praeter Leodium et Hollandia Septentrionalis includebantur, in dicionem Maximiliani Habsburgensis, dos Mariae uxoris, Caroli Temerarii heredis, est redactus. Imperator Carolus Quintus tandem provincias, quae hodiernis Nederlandiae et Belgicae respondent, coniunxit. Post motus Calvinianos anno 1566° ortos, a duce ab Alba inclementer repressos, regio divisa est in duas partes, quarum altera hodierna Belgica, catholica, in potestate Hispanorum mansit, altera, hodierna Nederlandia, Calviniana, sui iuris facta est. Hispanicam Austriaca dominatione anno 1713° secuta, anno 1794° regio ab exercitu Francogallico capta est. His temporibus non solum lingua publica totius regio-

nis est Francogallica, sed clare patet hanc linguam limitem socialem, ut ita dicam, esse: nam divitiores et primores sunt Vallones, qui Francogallice loquuntur. post concilium Vindobonense constitutum est regnum Nederlandiae regi Villoelmo primo: post plus quam ducentos annos provinciae iuncta partis septentrionalis et provinciae partis meridionalis denuo congregatae sunt. Saeculum undevicesimum, ubi ortus est ille motus culturalis romanticus, qui dicitur, gentis suae studio favit, et quod ad Flandros, et quod ad Vallones attinet. Nisi haec attente penitusve consideraverimus, minime intellegere poterimus res novas anni 1830<sup>1</sup> e quibus secutum est, ut Belgica primum res publica sui iuris facta sit.

Villelmus primus imperium adeptus contra aetatis Napoleonicae proclivitatem in regionibus Flandricis linguam Nederlandicam promovit. Quod effecit, ut nobilitas et publici administri Francogallice loquentes nec non clerus catholicus, qui timebat, ne lingua Nederlandica Calvinismi vehiculum esset, acriter oppugnaverint. Itaque multis rebus a rege concessis anno 1830°, paulo ante eversionem, libertas linguistica totalis declarata est. Seditio anni 1830<sup>1</sup> significat et ab Hollandia secessionem et partis Francogallice loquentis defensionem. Hoc tempore difficile exstitit Belgis definire, qui, quod ad gentes attinet, sint. Quaestio est in provinciis meridionalibus, id est in regno Belgico, duos populos vivere, alterum Nederlandicum (Flandricum), alterum Vallonicum. Nunc incipit in Belgica pars Flandrica expergisci. Romanticismus aluerat eversionem anni 1830° et ali Flandricum motum, qui dicitur. Hoc loco aliquos homines afferre possum, qui operam dederunt ad cultum translaticium Flandricum servandum, quem cultus publicus novi regiminis ad Francogalliam spectans minabatur. Quasi Belgicae bilinguis emblema mihi esse videtur Henricus (Hendrik) Conscience (1812-1883), qui matre Flandrica et patre Vallonico natus est. Is anno 1838° fabulam romanensem historicam edidit, cui titulus est Leo Flandriae, in qua maximis laudibus maiores Flandrici extolluntur: imprimis "pugna aureorum calcarium", qua exercitus popularis Flandricus equitatus Francogallici florem anno 1302° Cortoriaci profligavit. Sed difficile erat statuere, quod genus linguae adhibenda esset. Nam erant, qui, ut Vido



Gexelle (1830-1899), censerent dialectos Flandriae Occidentalis praeferendas esse, quod melius hereditatem Mediae Aetatis servavissent; erant, qui, ut Johannes Franciscus (Jan Frans) Willems (1793-1846), adhibendam linguam communem Nederlandicam putarent. Ex saeculo XIX° usque ad tempora nostra semper magis ponderis lingua Flandrica consecuta est, donec anno 1973° lex statuit rectum nomen esse linguam Nederlandicam. Anno 1980° regnum Belgicum et regnum Nederlandicum unitatem linguisticam Nederlandicam subscripserunt et paulo post anno 1984° grammatica communis edita est. Ut finem faciam, hodiernis diebus Flandri et Vallones eodem iure sunt. Ita in museis Antverpiensibus solum inscriptiones Nederlandicae inveniuntur (quod peregrinationem maxima difficultate afficit). Sed quaestio non est soluta et saepe sunt inter duas communitates contentiones.

Paula Marongiu Itala Florentina

## De Bello inter Civitates Gesto Americano I

### Praefatio

Cum discipulus circiter undecim annorum essem, amicus quidam e meis die quodam ex improvise "Notusne tibi, mi Martine", inquit, "liber ille celeberrimus, qui 'De Thomae patris casula' inscribitur?" Cui cum respondissem me nunquam de tali libro audivisse, caput concutiens "Homullus ergo ignarus es", suspiravit, "quod vix sunt, qui talem librum ignorent. Toto in orbe terrarum notus est. Plerasque in linguas iam versus est." - "Sed, amice", interrogavi, "dic mihi: Utrum res veras narrat hic liber an de rebus ficticiis fabulatur?" Ad quae triumphans "Utrumque!" exclamavit. "Harrieta Beecher-Stowe, illius libri auctrix, narrationem quidem mente finxit, sed nihilominus realiter descripsit condiciones, quibus vivere servi Africani saeculo undevicesimo in civitatibus meridianis Civitatum Unitarum Americanarum cogeantur. At - Deo gratiae agantur! - Americani septentrionales meridianos bello civili superaverunt et servis Africanis libertatem reddiderunt." Inde ab hoc temporis momento non iam desinebam libros legere de illo bello Americano, pelliculas spectare cinema-

tographicas, phonocasetas audire, alioque more accipere conari, quae res re vera tunc temporis actae essent. Quo autem plura de his eventibus comperiebam, eo melius intellegebam Harrietam Beecher-Stowe noluisse res describere, quales essent, sed hominum animos incitare ad bellum gerendum, ad bellum scilicet gerendum non pro servis liberandis, sed pro septentrionalium potestate amplificanda et pro pecunia luxuriaque augenda. Homines contra meridiani non erant monstra humana servos cottidie crudelissime vexantia et servas stuprantia, sed homines ordinarii, qui nil aliud volebant nisi taliter vivere, qualiter iam maiores vixerant. Cui autem modo vivendi aetas non favebat. Videamus ergo, quo modo bellum istud, quod 'civile' dicitur, exarserit, quibus auxiliis gestum sit, quem ad finem duxerit.

### De originibus Belli inter Civitates Gesti Americani

America, quam ante quinque saecula Christophorum Columbum detexisse dicunt, re vera iam Vicingis anno circiter millesimo p. Chr. n. illuc navigantibus nota erat. Sed cum armis paribus, numero autem multo minore, contra indigenas (qui postea Indiani vocati sunt) dimicarent, devicti et fugati sunt.

Nonnulli autem historiologi affirmant iam quinque saeculis ante monachos Hibernos Brendano abbate duce trans Oceanum navigasse et primos homines Europaeos Americam vidisse. Attamen vulgo Columbus detector Americae habetur et celebratur.

Quo duce Hispani auri accipiendi et religionis divulgandae cupidi turmatim Americam, quae in honorem Americi cuiusdam Vespuccii (vulgo: Amerigo Vespucci) detectoris et navigatoris parum noti ita vocata erat, invadebant et indigenas, quos Indianos vocabant propterea, quod Columbus se Indiam attigisse putaverat, bellis atrocibus supprimebant, ne dicam: eradebant. Indiani servi Hispanorum facti multis morbis adhuc non notis moriebantur. Multi eorum etiam in minis laborantes peribant. Qua de causa Hispani servos nigros ex Africa in Americam transferre incohabant.

Non autem Hispani tantum, sed etiam Francogalli, Lusitani Anglique colonias in America condiderunt, Angli Francogallice in America septentrionali, Hispani et Lusitani in

America meridiana et centrali.

Prima Anglorum colonia in America septentrionali erat Virginia, postea a hominibus religiosis, qui se 'patres peregrinos' vocabant, conditae sunt coloniae Novae Angliae, i.e. Connecticuta (vulgo: Connecticut), Massachusetts, Rhodensis Insula (Rhode Island), Nova Hantonia (New Hampshire) (nomina latinizata deprompta sunt e 'Lexico nominum locorum', qui editur a domo editoria Vaticana). Secutae sunt Novum Eboracum (New York), Nova Caesarea (New Jersey), Pennsylvania, Mariae Terra (Maryland), Delavaria (Delaware), Carolina Septentrionalis (North Carolina), Carolina Meridiana (South Carolina), Georgia. Una cum Virginia ergo tredecim coloniae Anglicae erant, quae omnes sitae erant inter Oceanum Atlanticum et montes Appalachicos. Trans montes illos Francogalli regiones usque ad Mississippium flumen pertinentes habebant, i.e. nonnulla oppida condiderant ad commercium cum Indianis necessaria. Francogalli enim non agriculturae favebant, sed commercio, Angli vero terram possidere volebant, unde fiebat, ut Indiani Francogallos Anglis anteponerent.

Saeculo p. Chr. n. duodevicesimo bellum magnum exarsit inter Angliam et Francogalliam. Francogalli, quamvis ab Indianis succurrerentur, victi sunt et Canadam Anglis tradere debuerunt. Multi Mississippium sequentes in meridiem emigraverunt.

Francogallis victis coloni Angli trans Appalachicos montes migrare studebant, ut novas colonias ducerent. Georgius autem rex Anglorum colonos longius procedere vetuit timens, ne Indiani nimis irascerentur bellumque moverent ingentissimum. Praeterea non satis pecuniae habebat bello novo gerendo. Coloni vero aegre tulerunt. Maior autem facta est ira eorum, cum rex nova vectigalia eis imponere vellet. "Non solvemus", exclamaverunt, " priusquam nobis liceat de rebus nostris ipsis decernere. Rege autem cedere nolente iuvenes nonnulli vestibus ac ornatu Indianicis induti navem onerariam thea nigra impletam in portu Bostoniensi aggressi et privati sunt, theam autem mari iniecerunt.

Die denique 4<sup>o</sup> mensis Quinctilis (sive Iulii) anno 1776<sup>o</sup> legati omnium tredecim coloniarum Philadelphiam congressi decreverunt, ne diutius regi Anglorum oboedirent, sed ut colonia quaeque ex illo tempore esset civitas libera utque

huiusce modi civitates inter se foedus ferirent condicionibus his, ut regimen generale quoddam rebus exterioribus et patriae defensionem provideret, ceterae autem res essent civitati unicuique. Nova ita res publica condita est: Civitates Unitae (sive Foederatae) Americae.

Anglis autem talia aegre ferentibus bellum exortum est longum, quo Americani Anglis multo peius armati vinci videbantur, sed a Francogallis Hispanisque subvenientibus servati sunt. Anno 1783<sup>o</sup> bellum finitum est: Anglis Canada remansit, tredecim coloniae autem pristinae liberae erant in aeternum.

Libertate vix nacti belloque confecto celerrime in regiones trans Appalachicos montes sitas irruerunt et novas civitates condiderunt. Civitates autem condentes Americani septentrionales et meridiani non eosdem fines sequebantur. Utraque pars enim sui ipsius modi civitates condere volebant, modi vero vivendi multum inter se differebant:

In civitatibus septentrionalibus agricolae parvi, imprimis autem mercatores, fabricarii argentariarumque praefecti praevalebant. Magnas in urbes maxima hominum copia confluerat. Permulti operarii in fabricis laborabant. Cottidie fere novi inventus facti sunt technici, inter quos longe celeberrimus erat ferrivia, qua auxiliante ingens illa terra ab Atlantico usque ad Pacificum pertinens Oceanum cito detecta et expugnata est.

Qui potentes et divites erant, in dies potentiores et ditiores fieri studebant non respicientes, qualibus mediis illuc pervenirent. Sic operarii condicionibus pessimis laborare cogebantur: Non satis pecuniae merebant ad vitam homine dignam gerendam. Cum aegrotarent vel aetate confecti casuve quodam infelici inflicti erant, subito emittebantur inscii, quo se verterent quoque modo se suosque alerent. Faeneratores vero et fabricarii Croeso splendidius vivebant, sed numquam desinebant luxuriam augere, otium ignorabant, religionem non colebant nisi unius dei, qui sacra Scriptura 'Mammon' nominatur.

In civitatibus meridianis societas humana multo alia erat: Urbes magnae non exstabant nisi Nova Aurelia (New Orleans) in civitate Luisiana, plerique homines erant agricolae sive parvi sive magni latifundia possidentes maxima. Quae colebantur a servis nigris, quorum maiores vi crudelissime ex

Africa in Americam transportati erant... in navibus septentrionalibus. Tabacum, oryza, imprimis autem linum xylinum his in latifundiis, quae vulgo 'plantationes' vocabantur, colebantur. Ad linum xylinum carpendum machinae nondum inventae erant, unde fiebat, ut sine servis lini xylini cultura fieri non posset.

Qualis autem erat servitus meridianarum civitatum Americanarum? Geologus quidam Anglus nomine Carolus (Charles) Lyell anno circiter 1850° per Georgiam iter faciens servos Afros operariis albis multo feliciter vivere affirmavit. Inter servos et dominos non pacem tantum regnare, sed fidem quandam talem, ut servi aegroti vel servae infantem parturae a dominis dominabusque adiuventur et sanarentur. Labores non esse nimios, immo tantummodo octo horarum cottidie. Cibum servis destinatum ultra modum sufficientem esse ita, ut, quae superessent, servi vendere possent. Servos habere casulas proprias et hortulos leguminibus abundantes neque non bestias domesticas velut gallos gallinasve, sues, canes. Flagella non in usu esse nisi eventibus gravissimis, velut criminibus, evocata.

Quid de hac descriptione servitus putandum est? Carolus Lyell ut non omnes 'plantationes' visitavit, ita tamen iter longum per regiones meridianas fecit plusque vidit quam Harrieta illa Beecher-Stowe, quae numquam in meridie fuit, sed tamen librum scripsit fictivum, quo servitatem pessimam descripsit. Addenda sunt facta duo: Ut confitendum est servitatem habuisse etiam 'faciem foedam' - memores simus fori servorum, in quo non raro familiae crudelissime separabantur! - ita servi nigri in civitatibus meridianis multo melius tractabantur quam ut hodie cogitare possimus. Praeterea incolae civitatum meridianarum non omnes servos habebant: 93% (lege: nonagenae ternae centesimae) incolarum alborum non erant servicultores.

Nihilominus toto in orbe terrarum opinio publica servitatem in dies minus tolerabat. In civitatibus septentrionalibus Unionis Americanae factio condita est, cuius membra abolitionistae vocabantur, quod servitatem abolere volebant. Cottidie fere orationibus ardentissimis commentariisque diurnis homines excitabant contra incolas meridianos, quos monstra humana et beluas feras esse affirmabant. Quo maxime gaudebant fabricarii et faenatores, quibus non servi cordi

erant nigri, sed luxuria ipsorum propria. Sperabant enim institutionibus moribusque meridianis deletis se ipsos posse omnia possidere, quae nunc essent meridianis.

Itaque homines politici septentrionales primum meridianos vi politica vexare coeperunt: Legem tulerunt de vectigalibus novis statuendis talibus, ut quaecumque res ex Europa in Americam importarentur, vectigalibus magni pretii onerarentur. Sic fabricarii septentrionales producta sua multo constantia eodem vel minore pretio se vendere posse sperabant quam fabricarii Europaei, quorum producta sine vectigalibus impositis minoris pretii erant. Homines autem meridiani nullo modo parati erant ad vectigalia sibi inutilia solvenda. Itaque - et quod 'Yanci' i.e. septentrionales, cottidie fere verba minantia contra meridianos proferebant - Carolina Meridiana et aliae civitates meridianae de secessione, i.e. de Unione relinquenda, disputare incohabant. Nolebant enim regnari ab hominibus semper negotiantibus, faenerantibus, omni religione expertibus, omnia se scire putantibus, cum praeferrent vitam ruralem, tranquillam, solo patrio, honori mulierum Deoque deditam. Utraque Unionis pars, i.e. civitates et septentrionales et meridianae, in condendis novis civitatibus ultra montes Appalachicos situs suum vivendi modum exportare conabatur, propterea quod unicuique civitati erant duae sedes in senatu Civitatum Unitarum, qui legibus ferendis et abrogandis disputabat et decernebat. Cum autem civitatibus septentrionalibus plures homines essent quam meridianis, his facilius erat novas civitates condere quam illis. Sic factum est, ut potestas septentrionalium in dies augetur et meridiani homines magis magisque de vita extra unionem somniarent.


Anno circiter 1850° duae nationes exstabant, sed Henrico (Henry) Clay atque Daniele Webster auctoribus pax iterum servata est, pax autem fragilissima. Annis enim 1846° usque ad 1848<sup>um</sup> Civitates Unitae bello de Texia (Texas) liberanda Mexicum devicerant et magnas regiones expugnauerant. Quae regiones omnes infra litem illum iacebant, qui statutus erat, ut meridiem a septentrionale separaretur. Attamen in illis regionibus numquam servi colebantur. Qua de causa et meridiani et septentrionales suis vivendi modis terras novas regere in animo habebant.

Eodem tempore summum unionis tribunal decrevit servos ab abolitionistis seductos, ut dominis relictis in septentrionem fugerent, esse reducendos. Quo decreto audito abolitionistae actis diurnis sibi deditis saevire incohabant horribilissime ita, ut senatum ad novam legem ferendam de servis non reducendis cogere conarentur. Opera summa adhibita viri duo prisca et auctoritate fruentes magna, Henricus Clay meridianus Kentukianus et Daniel Webster septentrionalis Massachusetanus, ceteris senatoribus proposuerunt, ut servi essent reducendi, novae autem terrae, quae antea Mexico fuerant, septentrionali modo, i.e. sine servis, regerentur excepta Texia ipsa, qui servitutem iam antea habuerat.

Qui compromissus ut pacem externam servabat, tamen neque unos neque alios satisfaciebat. Abhinc maxima dissensio erat inter meridiem et septentrionem: In senatu non verbis tantum, sed interdum etiam plagis dimicabatur. Sic Carolus (Charles) Sumner senator Massachusetanus Carolinam Meridianam scortum appellavit. Quibus verbis vix dictis Preston Brooks, Carolinae Meridianae incola quidam, baculo ligneo Carolum Sumner ita tractavit, ut ille per multas septimanas valetudinarium relinquere non iam posset.

(Relationis pars altera in proximo libello sequetur)

Martinus Meier



SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

---

---

---

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.

(Ich abonniere RVMOR VARIVS für  
mit Rechnung an:)

---

---

---

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach

8050 Zürich

AZB

8050 Zürich

2/93

IDIBVS IVLIIS

MCMXCIII



RVMOR VARIVS



TOMVS 16

FASC. 98